



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXIII. Vtrum post consecrationem totus, & solus Christus sit realiter
præsens sub speciebus panis, & vini?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

nihil omnino superest, quod aliquo pacto verificare possit panem cum corpore sumi, aut vinum cum sanguine. Manet autem pars altera substantialis aquae, tamen si fiat conuersio in vinum, & est frequens positio partis pro toto per Syntedochem.

Art. 4. Ad 2. confirmationem. Dum dicit Philosophus *aut quod ex ipsis*, perinde est ad mentem eius eo in loco, siue intelligatur quoddam tertium specie distinctum, siue distinctum numero tantum ab utroque, aut ab utroque ex extremis inter se collatis per particulam *cum*, & ex eisdem quoquomodo confurgens. Exstat autem eiusmodi tertium numero distinctum, & auctum, si aqua conuertatur in vinum, ut per se patet.

Art. 5. Ad 3. confirmationem, Cyrillus, Alexandrinus primus auctor anathematismorum seu Canonum, quos postea approbavit Con. Ephesinum aduersus Nestorianos accusatus ab illis fuit, circa octauum eum canonem, quod ipse etiam Cyrillus saepe alibi dixisset *Deum cum carne adorandum*. Respondet autem Cyrillus in Apologetico, qui habetur tom. 2. operum eius, particulam *cum*, quando aliunde non determinatur eius significatio, semper afferre intellectum duorum suppositorum; non vero quando determinatur per aliquid aliud adiunctum: atque se adiunxisse semper aliquod determinatum, ac restrictum quo excluderetur dualitas suppositorum. Porro in declaratione Innocentij, adest particula relatiua ad opinionem dicentium, aquam conuerti prius in vinum. Quo adiuncto probabiliter determinatur, ac restringitur significatio, & excluditur dualitas suppositorum. Non autem determinatur, ac restringitur, nisi probabiliter tantum, quia aduersus illam partem opinionis scholasticorum de conuersione aquae in vinum opposuerat Pontifex experientiam Physicorum, de separatione aquae à vino per artificium. Neque hanc obiectionem approbavit deinde, aut reprobat, in eam solam aliam partem intentum, quae directè respondebat quaestioni propositae, quaeque erat maioris momenti. Vnde mens Pontificis circa alteram istam partem de conuersione aquae in vinum mansit obscura, & penitus anceps nolente Pontifice se immiscere controuersiae illi Physicorum. Nihil itaque iuuat intentionem obiectionis textus ille Ephesini, quo perperam exultat Bernal ignarus originis ex Cyrillo, & contextus eius.

Art. 1. Ad 4. De mente Philosophi in hac materia res est valde incerta, ut videre licet inter alios apud Auerf. dist. 44. Philosoph. sect. 3. ubi multis tueretur conuersionem aquae in vinum actiuitate ipsius vini. Experientiam, quantum ceteri relati in obiectione de separatione aquae à vino, deridet Albert. Mag. 1. 21. dist. 3. de Euchar. tract. 2. c. 3. n. 5. & ait: stirpes, & ligna naturae valde aquae, utpote nata in aqua attrahere ad se propter similitudinem, non solum aquam, sed etiam partes vini, magis degeneres, magisque aquosas, & eas vi sua actiua protinus conuerrere in aquam: propter praesistentem pronam ad id, dispositionem; atque inde incautis videri attractam esse aquam, cum verum vinum attractum sit, licet imperfectum. Nempè eandem attractionem, & conuersionem contingere, tamen si nulla praecesserit mixtio aquae cum vino. Idem dicitur suo modo de retentione aquae elapso vino, in vase ex tali ligno. Hoc ipsum respondent D. Bonaventura, & alij in praesenti, & est responsio probabilis.

Art. 2. Iam parum aquae mixtum maiori quantitati vini diffunditur protinus in partes penè innumeras, & usque adeo exiguas vix ut vllam retineant vim resistendi. Minuitur namque virtus, quo plus dissipatur; Credibile propterea est, posse vinum, tamen si debile sit, illam aquam usque adeo dissipatam

in se conuerrere. Nempè forma vini iam non viuientis, parum degenerat à forma viuientis, propter imperfectionem eiusdem, dum viueret, ideoque retinet virtutem actiuam, & conuersiuam penè eandem.

Art. 3. Quod si nihilominus aliquando contingat aquam non conuerti in vinum; & consequenter neque in sanguinem propter aliquam specialem circumstantiam impeditiuam conuersionis: dicendum est id esse per accidens: sicut si contingat panem, aut vinum non esse legitimum, atque illegitimitatem non patere sensui. Nec est inconueniens, quod intentio consecrantis, & adorantium aliquando per accidens destituatur, siue ex parte, siue ex toto, legitima materia, aut obiecto. Quia Deus prouidet hominibus iuxta naturam eorum, expositam eiusmodi accidentibus, & instruibilem solum mediante sensui potente fallere; ex cuius tamen fallacia, non nisi materialis error redundat in partem superiorem existente intentione implicita, vel explicita faciendi; quod hic, & nunc fieri potest, ac licet. Quae intentio, & cognitio directiua eius immediatè, atque reflexiua supra sensum secerunt, quae sunt indiscernibilia per sensum secundum se consideratum.

Q V A E S T I O LXIII.

Vtrum post consecrationem totus, & solus Christus sit realiter praesens sub speciebus panis, & vini?

Videtur non esse praesens realiter, sed tantum sicut in signo, & figuratiue 1. Quia Augustinus in Psal. 98. propè medium expositionis, cum praeulisset Christum dicentem Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis &c.* & discipulos opposcentes; *Durus est hic sermo*; atque Christum respondentem: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam*; subiungit demum ex persona Christi: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus quod videris manducaturus estis: & bibiturus illum sanguinem, quem fusi sunt, qui me crucifigunt; sacramentum autem quod vobis commendavi spiritualiter intellectum, viuificabit vos, caro autem non prodest quicquam.* Ergo quidquid dicitur ab Euangelistis de praesentia corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento, allegoricè, & figuratiue tantum accipiendum est; eamque acceptionem omni sibi vendicant verba Christi, quae praemittit Augustinus; nec aliter exponi legitime possunt, quam exponantur ab ipso. Exponuntur autem manifestè de praesentia tantum figuratiua.

2. Propositiones scripturae, quantum extrema sunt inuicem dissonantia ex natura rei accipiuntur tropicè à SS. PP. suntque omnino falsae in sensu literali. Tales sunt 12. Exodi 11. *Agnus est Phasae, idest transitus Domini*: 1. ad Corin. 10. 4. *Petra erat Christus*; & v. 16. *Panis est communicatio corporis Christi &c.* 11. 25. *Hic Calix novum testamentum est.* Genes. 41. 26. *Septem boves sunt septem anni.* Apoc. 17. 9. *Septem capita sunt septem montes.* Quae, & similia permulta non nisi tropicè accipi possunt, & ita ab omnibus accipiuntur. Sunt autem eiusdem generis haec de quibus animus directus ad panem, & vinum: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Ergo sunt similiter accipienda.

3. Istud sacramentum sicut & reliqua, institutum est propter vtilitatem fidelium. Realis autem praesentia corporis Christi ad nihil est utilis, imò est nocua. Non quidem est utilis. Primum quia praesentia corporalis in aliquo loco est utilis praecise propter actionem, vel passionem, quae exerceri potest dependenter à tali praesentia; Christus autem, quatenus sacramentaliter praesens praesentia reali, nihil agere,

re, aut pati potest, ut dicetur quæst. 66. Deinde præsentia realis in sacramento non potest percipi, nisi per fidem. Fides autem æquè benè, eodemque modo fertur in absentia, & præsentia. Quia fides est argumentum non apparentium iuxta Paulum. Undè respectu fidei perinde est obiectum esse propè sensum, vel esse remotum à sensu; esset autem nociua eadem præsentia corporalis. Quia, si daretur, deberet animus illi adhærere. Nocet verò adhesio ad præsentiam corporalem Christi. Quia ut dicit D. Gregor. Homil. 28. in Euang. Regulus reprehenditur, quod quæreret corporalem Christi præsentiam: & Apostoli impediabantur, quominus reciperent Spiritum sanctum, propter affectum ad præsentiam corporalem Christi, ut dicit August. tract. 94. in Ioanne post medium iuxta illud *si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos*. Deinde quod est deceptiuum, est nociuum; esset autem deceptiuum hoc sacramentum: si Christum contineret in se realiter. Deceptio enim contingit, quando aliud est, & aliud apparet: Apparet autem in hoc sacramento panis & vinum, quia perseverant utriusque accidentia, quæ ex sua natura sunt demonstratiua eorum. Ergo si realiter adesset nihilominus Christus; aliud re ipsa esset, & aliud apparet.

4. Nihil potest distare à se ipso: aut esse dextrum, & sinistrum, sursum, & deorsum respectu sui. Quia quilibet est essentialiter vnum, & indiuisum in se. Indiuisiōi autem opponitur essentialiter diuisio; atque hanc essentialiter in se continent distantia, & diuersitas locorum. Manifestum siquidem est ea esse inter se diuisa, quibus interiacent aliqua corpora, & spatia; nec non quod est dextrum ab eo, quod est sinistrum; & quod est sursum ab eo, quod est deorsum, licet loca essent contigua. Hæc autem omnia conuenirent Christo, si adesset realiter in sacramento: ut per se satis patet. Ergo præsentia realis Christi in sacramento est quid chimericum non secus, ac præsentia realis simultanea eiusdem rei pro diuersis partibus temporis. Tum continuis, tum maximè discretis, atque inuicem distantibus.

5. Non potest dici, quod Christus sit realiter præsens in sacramento, aut totus, aut solus. Quia verba Sacramentalia non plus operantur, quàm significant; siquidem operantur solum significando, significant autem tantum positiuè, tum corpus, tum sanguinem Christi tantum. Ergo nec remouent substantiam panis, & vini, nec inducunt animam Christi, aut vnionem hypostaticam, aut reliquos humores. Ergo nec totus Christus, nec solus adest sub speciebus panis, & vini.

Art. 1. Respondetur, Certa fide tenendum est, post consecrationem panis, & vini totum Christum Dominum realiter, & physicè esse præsentem sub speciebus panis, & vini, & non tantum figuratiuè, & tantum in signo. Ita luculenter definitum est à Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. de hoc sacramento: & Canon eius primus habet sic: *Si quis negauerit in sanctissima Eucharistia sacramento contingeri verè, realiter, & substantialiter, Corpus, & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri, Iesu Christi: ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute anathema sit*. Eandem veritatem, aduersus plures Hæreticos, & varias hæreses, multa priora Concilia definire, quæ videri possunt apud Suar. disp. 46. sect. 1. Idem apparet clarè ex verbis Christi instituentis istud sacramentum: *Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus*; seu *Calix sanguinis mei*; quæ habentur apud Matth. Marc. Luc. & Apostol. II. suprà indicatis. Hæc enim accipienda esse iuxta proprietatem sermonis de vero corpore, & sanguine Christi verè præsentis, & non figuratiuè, ac per tro-

pum de solo signo, & figura corporis, & sanguinis: multa sunt, quæ efficaciter conuincunt.

Art. 2. Primum enim Deo loquente de opere suo, retinenda est proprietas verborum, & æquè plenè, ac planè accommodanda sincera fides, absque ambagibus figurarum; siue opus sit arduum, & humanæ rationi minimè peruium: siue sit facilè, & humana ratione comprehendi possit, Deo enim vtrumque est æquè facile: & fides æquè facilium, debet esse æquè prompta, æquè plena, æquè plana. Imò quia quod opus est magis arduum, minusque peruium humanæ rationi, eò est magis proprium Dei, magisque decens potentiam eius infinitam eiusmodi potius credendum est esse opus, de quo incidit controuersia. In hac videlicet materia, vel maximè locum habet documentum celebre August. lib. 3. de doctr. Christ. c. 7. quod *verba scripturæ propriè intelligenda sunt & non per tropum: nisi ubi vel euidentis necessitas, vel Ecclesiæ auctoritas aliud docet*. In præsentia autem Ecclesiæ imprimis alius profectò non docet: quin ex quo nata est, proprietatem sermonis constanter retinuit, sed nec euidentem necessitatem aliud docere, partim constituit, quæst. 61. & constabit de reliquo, ex dicendis. Conuersionem verò panis, & vini, in verum corpus, & verum Christi sanguinem esse opus propriissimum Dei, atque imperuium humanæ rationi constat ex eadem quæst. 61. Ergo quæ eam conuersionem, secundum sensum proprium, significant, sunt omnino secundum sensum proprium accipienda.

Art. 3. Deinde licet demonstrando id, de quo notum iam est esse imaginem, non absurde de illo prædicetur exemplar: ut si dicatur de imaginibus Cæsaris, & Pompeij: *Hic est Cæsar: Hic Pompeius*. Absurdum tamen est figuratum prædicare cathgoricè, cum primum instituitur, & constituitur in ratione figuræ. Panis autem, qui apud Berengarium, Calvinistas, & alias pestes figuratè tantum dicitur corpus Christi, non habebat rationem figuræ, & repræsentationem corporis Christi ante illa eius verba. Ergo ea fuissent absurda; si per ipsa veritas, ac realitas rei nominatæ, significata & constituta non fuisset.

Art. 4. Durius præterea multò est, atque absurdius, quod de figura corporis, & sanguinis Christi dicatur: *Quod pro vobis tradetur: Qui pro vobis effundetur; frangitur, effunditur*. Hæc enim in figuram minimè cadunt. Et tamen hæc dicuntur à Christo, ut liquet ex locis relatis qu. 60. de corpore, & sanguine, quod manducandum, & quem bibendum discipulis dedit. Non igitur dedit illis solam figuram corporis, & sanguinis sui: sed dedit verum corpus, quod solum pro nobis traditum est, & quod fractum in Cruce minimè fuit, ut est ex fide certum, solumque frangitur in sacramento.

Art. 5. Quartò proprietas verborum nunquam magis requiritur, quam in sacramentorum institutione, & in condendo testamento. Sacramenta enim sunt fundamenta religionis; ex quibus proinde omnis ambiguitas figuratæ locutionis procul pellenda est, atque ita in reliquis sacramentis peractum est, ut patebit clarè eunti per singula. Testamentum verò est vltima, vltimæ voluntatis manifestatio, cuius proinde nulla amplius erit alia expositio profectò ab auctore locutionis. Qua de causa manifesti iuris est, & videtur esse iuris gentium, ut testamenta executioni mandentur iuxta summam proprietatem verborum. Undè non satisfieret imagine domus, cui domus legata esset. Christus autem, dum hæc verba diceret, instituit sacramentum mansurum perpetuò in Ecclesia. Quod nec Hæretici negant, & manifestat illud præceptum: *Hoc facite &c.* Testamentum etiam condidit, quia fuit declaratio vltimæ voluntatis in postrema cæna, & colloquio

colloquio postremo, cum Collegio Discipulorum; vt manifestant illa verba. *Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine.*

Art. 6. Mitto alia, & venio ad promissionem huius operis, ac donationis quæ habetur Ioann. 6. 51. *Panis* inquit Christus, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, litigantibus autem Iudæis, & refugientibus à fide sententiæ difficilis in sensu proprio, qualem illi subesse nequaquam dubitatum, sed dubitarunt esse verum, dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Tam longè absuit Christus Dominus à suggerendo sensu allegorico, aut aliter impro- prio, quo subueniret stupida tarditati fluctuantium, sicut sæpè fecit, exponendo parabolas nondum satis apparentes sub primæ aspectum, vt potius eandem sententiam fennel, atque iterum alleuerantissimè re- plicauerit verbis multò etiam apertius continentibus proprietatem sermonis. Amen amen dico vobis nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sangui- nem, non habebitis vitam in vobis; Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et iterum. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Ac demum op- ponens vmbra, ac figuræ realitatem, ac veritatem: *Non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mor- tui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Facile est circa hæc machinari multa, pro sensu alle- gorico; sed impossibile profectò est quidquam inuenire in quo mens conqueſcat extra sensum proprium, ac liberalem. Qui nimirum his verbis clarissimis inest manifestissimè, nullum vt aliud myſterium nostræ fi- dei sit clarius, si & æquè clarè est aliquod reuelatum. Quapropter nullis omnino argumentis, sperandum est, vt succumbat, qui sincerè considerationi reuelatio- nis patenti, per se apertè, non acquieuerit spontè. Qui enim clarissimis resistit, obscurioribus nequa- quam cedit; & qui nota per ignota, clara per obscura interpretatur, non tam est docendus, quam punien- dus. Nempe voluntate magis peccat.

Art. 7. Eadem est huius veritatis conspicuitas apud Apostolum figuratæ locutioni minimè deditum 1. ad Corinth. 11. à v. 23. vbi præter alia cum Euangelistis communia, obseruanda veniunt, præparatio ad istud sacramentum requisita: & comminatio aduersus in- digne fuscipientes; v. 28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne iudicium sibi manducat non diiudicans corpus Domini:* id est, non discernens corpus Domini ab aliis cibis & perinde illud sumens, atque si esset verus, & solus panis. Quæ sanè in solam figu- ram corporis, & sanguinis non cadunt idoneè, cum circa verum corpus, & sanguinem Christi, non alia, aut dispositio exigi, aut comminatio fieri iustior possit.

Art. 8. Accedit quodd in sacrificiis veteris legis præ- cesserunt plures figuræ Christi Domini. Lex autem vetus fuit vmbra habens futurorum bonorum, non ip- sam rerum imaginem, vt dicitur 10. ad Hebr. Oportebat igitur, vt in noua lege inducente realitatem bo- norum, quæ tunc adumbrata fuere, institueretur sa- crificium continens ipsum Christum in rei veritate.

Art. 9. Accedit rursus sic Deum dilexisse mundum, vt filium suum vnigenitum daret, & Ioann. 3. 16. *Sine penitentia autem sunt dona Dei,* vt dicitur Roman. 21. 29. Ergo semel nobis datus, nunquam est ablatus filius Dei, sed nobiscum est, hoc etiam modo sacramentali, vsque ad consummationem sæculi iuxta promissio- nem ipsius Matth. 28. 20. Est etiam proprium veræ, & magnæ dilectionis, qualis eminet in prædictis verbis, non discesse à dilecto. Proprium namque maximè est amicitia, præsertim maximæ, conuiuere amicis, vt dicitur 8. & hic c. 5. & lib. 9. cap. 4. Dilectionis igitur

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

eiusdem vi, qua venit ad nos, nostramque naturam assumpsit filius Dei, manet nobiscum in perpetuum cum eadem natura, post mortem etiam suam. Nec enim dilectionem moriendo deposuit, sed confirma- uit, qui pro omnibus nobis mortuus est.

Art. 10. Congruenter denique Christus Dominus fidem nostram exercet circa suam humanitatem ve- latam accidentibus panis, & vini; sicut circa diuinita- tem, latentem sub velamine humanitatis. Ista deinde fide erigit efficacissimè spem nostram, qua sit addu- cturus nos ad se videndum in specie gloriæ, cum iam non amplius hic erimus; siquidem voluit manere apud nos, dum hic sumus, sub speciebus, quas oculi peregrin- antium ferre possunt, & gloriosi corporis speciem ferre non possunt. Eadem rursus fide coniuncta cum ista spe accendit vehementer nostram erga ipsum ca- ritatem, per quam fides operatur, vt dicitur ad Galat. 5. 6. vt nolimus separari ab eo, qui vult etiam corpo- raliter nobis setper adesse, pro vt possibile est, vt ad- sit gloriosus viatoribus.

Art. 11. Ac demum per hæc media gratiam auget cumulatissimè, & præterea, cum per omnia sacramenta illam nobis subministret; per hoc tamen, in quo cor- poraliter continetur abundantius eam effundit. Quia humanitas assumpta, est instrumentum coniunctum gratiæ conferendæ, cætera vero sunt instrumenta se- parata. Vnde sacramentum Eucharistiæ, deseruit ad vberiore effectum quam sacramenta cætera; quate- nus instrumentum coniunctum est nobilius, quam se- paratum; atque Deus vtitur vnoquoque instrumento iuxta naturam, & dignitatem ipsius. Conuenientissi- mum igitur fuit nobisque vtilissimum, & myſterio In- carnationis Verbi Diuini, nostræque redemptioni, ac dignitati noui testamenti, mirifice congruens, vt in- stitueretur sacramentum, in quo Christus Dominus adesset secundum rei veritatem, perceptibilis per fi- dem mediante sensu, & non solum tanquam in signo, & figura.

Art. 12. Adest vero Christus Dominus in hoc sacra- mento totus quidem, vt est in Cælo; sed diuersimodè quoad singulas suas partes. Nempe corpus sub specie- bus panis, & sanguis sub speciebus vini, adsunt ex vi verborum. Alterutrum vero sub alterutris, & sub vtrif- que anima, vnio hypostatica, verbum quatenus perfici- ens humanitatem, & accidentia humanitatis propria, adsunt concomitanter. Id namque adest ex vi verbo- rum, quod vt adit requiritur, præcisè, & sufficit ad ve- rificationem eorum, sub quacunque suppositione. Id vero concomitanter adest, quod vt adit, solū requiri- tur ratione coniunctionis, & connexionis, quæ ipsum habet cum eo quod adest ex vi verborum, aut potius hoc cum illo; idque siue ex natura rei secundum se, siue ex aliqua suppositione ipsis superaddita. Præsen- tia autem corporis sub speciebus panis, & præsentia sanguinis, sub speciebus vini, requiruntur præcisè, & sufficiunt ad verificanda verba consecrationis. Quia vtrumque, & quidem vtrumque solū, significatur per illa formula, & directè. Corpus verò, & sanguis con- nectuntur ex natura rei, tum inuicem inrer se, tum cum anima, & vnione hypostatica, & supposito diuino ex suppositione, quodd in instanti prolationis verborum, independenter ab ipsis ea omnia existant inuicem co- pulata. Quia ea omnia pertinent ad complementum, & perfectionem corporis, & sanguinis. Postulat vero vnumquodque ex sua natura, vt adit sibi, vbi cumque ipsum aderit, omnis sua perfectio, & omne suum com- plementum, neque id negari ipsi potest absque miraculo, & dum nihil existit ex vi causarum secundarum, quodd eiusmodi coniunctionem impedire valeat.

Art. 13. Cum igitur corpus simul cum sanguine, atque sanguis simul cum corpore, & vtrumque simul cum anima vnione hypostatica, atque verbo diuino

M m

quatenus

quatenus complente humanitatem, pertineant ad constitutionem vnius hominis, & independenter à verbis consecrationis reperiantur inuicem de facto copulata complementibus, ac perficientibus, ceteris omnibus, tum corpus, tum sanguinem; Nihilque proinde iam detur ex vi causarum secundarum impediens mutuum eorum coniunctionem: consequens est, vt hæc omnia adsint concomitanter in isto sacramento: idemque dicitur suo modo de proprietatibus, & perfectionibus accidentalibus humanitatis absolutis à loco. Inquam cum nihil iam addit ex vi causarum secundarum, quod mutuum coniunctionem impediatur. Quia si tale aliquid adesset vt adfuit in triduo mortis Christi, respectu vnionis animæ cum corpore, & sanguine; verba consecrationis, non inducerent sub accidentibus panis id, cuius vniq cum corpore esset impedita; idem dicitur ex simili suppositione de sanguine.

Art. 14. Superest iam, vt ostendatur Christum ita adesse totum, vt adfit solus; nihilque proinde remanere post consecrationem de substantia panis, & vini. Quam veritatem definit aduersus Lutheranos Conc. Trident. vbi supra can. 2. dicens *non remanere substantiam panis & vini, atque mirabilem illam singularem conuersionem fieri manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*. Ratio est quia vi verborum consecrationis, substantia panis, & vini spoliatur omnibus suis accidentibus, nec amplius sunt subiectum sustentationis eorum. Requiritur enim ad veritatem verborum corpus, & sanguinem Christi esse subiectum talium accidentium. Quia si adessent in loco accidentium quin ea sustentarent; posset quidem verificari *Hic est corpus, hic est sanguis* & hic aduerbialiter sumpto, non tamen: *Hoc est corpus: Hic est sanguis* particulis *hoc, & hic* nominaliter sumptis. Quia nominaliter sumptæ, vltra præsentiam localem significant vnitatem consergentem ex vnione eorum accidentium cum corpore, & sanguine, tanquam cum subiecto sustentationis ipsorum. Cum ergo idem accidens nequeat simul habere duplex subiectum sustentationis; saltem naturaliter, quandoquidem ex natura rei est determinatum ad vnicum tale subiectum, patet, vi verborum consecrationis, spoliari substantiam panis, & vini, omnibus suis accidentibus.

Art. 15. Substantia autem definit esse ex sua natura, deficientibus sibi proprietatibus suis accidentalibus. Quia dependet ab illis à posteriori. Accidentia enim respectu substantiarum, quibus insunt, habent rationem instrumenti ad omnes operationes ipsarum; vt docet D. Thomas q. 21. de verit. à 5. & alibi sæpe cum Philos. Vnde substantiam esse absque omni accidenti, est ipsam esse ineptam ad omnes suas operationes. Quia verò substantia est propter suam operationem; & quod vtiliter existat habet ex operatione sua; concluditur substantiam, ex quo caret omni suo accidenti, carere totaliter suo fine proximo, nec posse amplius vtiliter existere, sed perperam extitutam esse in rerum natura. Vnumquodque autem deficit efficiente fine, propter quem est, & Deus sicut nihil perperam, & inutiliter facit, ita nihil perperam, & inutiliter conseruat, eademque ratione tollit ex natura rerum, quod est iam prorsus inutile, qua dicitur sal infatuatum mitti foras, vt conculcetur, & palmites non manentes in vitæ, nec ferentes fructum mitti extra vineam, & colligi in fasciculos ad comburendam. Ergo substantiæ panis, & vini necessario definunt esse in rerum natura, vi verborum consecrationis, nec post illa possunt vltius conseruari absque nouo miraculo; cuius tamē nulla apparet ratio, & conuenientia, nullaque est reuelatio, sed potius opposita. Est igitur in sacramento Eucharist. secundū rei veritatē totus, & solus Christus Dominus, cum accidentibus panis, & vini.

Art. 1. Ad 1. Ex ea auctoritate sumpserunt Hæretici occasionem errandi: malè intelligentes verba Augustini, vt dicit D. Thom. q. 75. à 1. ad 1. sicut & aliis hæreticis quam pluribus accidisse videmus olim & nuper, circa alia plura mysteria. Cæterum Augustinus nequaquam reprobat veram, ac realem præsentiam corporis Christi in sacramento, sed eam eius præsentiam intelligentiam, eumque sensum verborum Christi, iuxta quem eius sermo visus fuit durus discipulis. Audiatur Augustinus illo ipso in loco ante medium enarrationis. *Durum illis visum est cum dicitur nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit vitam æternam. Acceperunt illud stultè carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quod præcisarius esset Dominus, particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt: Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo; Hinc apparet, cum postea subiungit, spiritualiter intelligite, &c. non velle intelligentiam allegoricam nec excludere veritatem, ac realitatem corporis, & sanguinis; sed velle, vt intelligantur caro, & sanguis, quatenus habentes modum spiritualem, ac supernaturalem existendi, prout infra exponetur quæst. 66. & non eo modo existentes, quo existeret, dum corpus crucifigeretur, & effunderetur sanguis à Iudæis.*

Art. 2. Dum deinde subiungit, *spiritualiter intellectum vinificabit vos; caro non prodest quicquam*, tantum vult, quæ etiam fuit intentio Christi Domini instruendis discipulos, carnem non valere ad viuificandum ex se præcisè, sed ex adiuncta diuinitate, ac spiritu, vt patet ex his eiusdem Augustini verbis prelati ibidem pauld prius *cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & paucis interiectis: Quando autem hoc Dominus commendauit de carne sua locutus est, non igitur vera, & realis caro cogitanda, & commendata negatur; sed solum cogitanda, & commendata perhibetur simul cum diuinitate, ac spiritu. Alia quam plura Augustini testimonia, quibus clarissimè docet veram, ac realem præsentiam Christi in sacramento Eucharistia videri possunt inter alios, apud P. Hieronymum, Torensem l. 3. confess. Aug. cap. 4. & 5.*

Ad 2. Intelligentia determinata eorum, quæ allegorice, ac tropicè dicuntur, pendet ab eorum cognitione, quæ dicuntur in sensu proprio absque tropo, & figuris. Vnde ita sunt admittenda aliqua per allegoriam, ac tropicè dicta in sacris litteris, vt non propterea liceat omnia distrahare à sensu proprio, ac litterali; imo propterea sit necesse accipere aliqua in sensu proprio, ac litterali. Alioquin nihil vspiam Deus determinatè reuelasset: & liceret omnia hæc, & illuc pro libito pertrahere. Discrimen autem propositionum continentium sensum figuratiuum, & proprium, non debet desumi ex facilitate, aut difficultate coherentiæ inter subiectum, & prædicatum, respectu rationis naturalis. Quia inde fieret istas propositiones: *Verbum caro factum est. Ego & Pater omnia sumus: Omnes in Adam peccauerunt*, & similes accipiendas esse tropicè, ac improprie; cum iuxta proprietatem sermonis non minorem, sed maiorem ingerant difficultatem rationi naturali, quam istæ: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*. Discrimen igitur desumendum est ex contextu, & scopo, cæterisque circumstantiis locutionis maxime verò ex Ecclesiæ Catholica sensu, & SS. PP. intelligentia. Quæ omnia iam innotui suffragari aperte, proprietati sermonis in re nostra cum nihil eorum suffragatur, eidem, quoad propositiones quæ obiciuntur. Vnde nulla est paritas.

Ad 3. Ostensum iam est præsentiam realem Christi in sacramento asserre multiplicem utilitatem. Quia licet nihil possit absolute agere, aut pati physice, dependenter à præsentia sacramentali; potest tamen præstare, & præstat multa intentionaliter, cum depen-

Quaest. LXIV. Vtrum verba consecr. &c. 411

dependentia ab eadem praesentia, mediante fide. Atque haec ipsa fides, licet perinde feratur in Christum absentem, & praesentem quoad facilitatem, & certitudinem; non tamen perinde afficit voluntatem, sed accendit charitatem multo magis ex praesentia reali Christi in sacramento, ut dictum est. Quia vero vera charitas non adheret corpori, & sanguini secundum se, & propter se praecise, sed ut unitis, & propter unionem cum verbo, & quod ad sacramentum attinet, ut existentibus modo spirituali; propterea ea adhesio nihil nocet; sed est, supra quam dici potest utilis, & plena spiritualis delectationis, ac roboris. Quod attinet ad periculum deceptionis, Hoc est commune omnibus miraculis, ut si intellectus, non sit praeventus diuina reuelatione, ac illustratione, sint perturbatiua rationis naturalis, utpote fundatae in naturali rerum ordine, quem perturbant miracula. Circa istud autem sacramentum est iam praeventus intellectus volentium credere, reuelationem, & illustrationem diuinam de specie, seu apparentia panis, & vini, coniuncta cum realitate praesentiae solius Christi. Vnde nullum est deceptionis periculum nisi nolentibus credere; hoc est nisi volentibus decipi.

Art. 1. Ad quartum. Quod eadem entitas simul sit in spatiis inuicem distantibus, vsque adeo non repugnat metaphysice ex conceptu suo, ut de facto naturaliter contingat non solum in Deo, & Angelis, sed etiam patenter in anima rationali, quae tota simul adest in omnibus, & singulis partibus corporis humani, distantibus inuicem quoad spatium; & quatenus est in manu dextra, habet rationem dextrae respectu sui, quatenus est in manu sinistra, atque e conuerso; & similiter est sursum, ac deorsum respectu sui, ut est in capite, & ut est in pedibus.

Art. 2. Quod autem spatia simultanea eiusdem entitatis inter se distantia non possint esse naturaliter discontinua, nequaquam probat supernaturaliter, discontinua esse non posse. Quia Deus, qui aequaliter est vbique praesens, aequè facile dare potest praesentias in diuersis locis discontinuas, atque continuas, licet agens naturale praestare id non possit, quia non potest agere in distans immediate, nec vllibi quidquam supernaturaliter, aut supernaturaliter efficere. Rursus omnia creata subsunt eodem modo dispositioni voluntatis, & potentiae diuinae quoad ea, quae sunt illis omnibus communia, nec dependent a determinato gradu perfectionis, vel imperfectionis vnicuique essentialis. Praesentia autem ad locum est rebus omnibus communis, & quae superadditur vltra exigentiam vnicuique connaturalem, nullam ratione sui adiungit, aut praesupponit perfectionem, vel imperfectionem specialem ex parte subiecti. Quia est pura habitudo ad aliquid extrinsecum, quae non determinat entitatem, cui inest, ad bonum aliquod ipsius, vel malum, sed ad vtrumque, quantum est ex se, est prorsus indifferens. Quod enim prodest, vel officiat praesentia ad aliquem locum, dependet ex dispositione extrinseca rerum circumiacentium; ac proinde neutrum eorum determinate habet ex se praecise. Potest igitur Deus corporalia non minus, quam spiritualia constituere in locis inuicem distantibus, siue continuis, siue discontinuis, & cum denominationibus inde resultantibus.

Art. 3. Quapropter indiuisio cuiusvis entitatis essentialis, est sola indiuisio entitativa, quae habetur per mutuam identitatem omnium suorum praedicatorum, coniunctam cum distinctione ab omnibus aliis praedicatis. Haec autem duo non deficiunt vlli entitati, ratione praesentiae simultaneae sui, ad spatia inuicem distantia, & discontinua. Quia tam ipsa spatia, quam praesentia ad illa, sunt quid extrinsecum,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

& realiter distinctum, ideoque indiuisio quoad spatia & loca est indiuisio solum quoad extrinseca, & realiter distincta; quibus proinde vtrunque multiplicatis, ac disiunctis, non necesse est multiplicari itidem, aut a se disungi rem cui insunt, & quam afficiunt. Deficere igitur potest eiusmodi indiuisio quoad spatia, & loca, absque repugnantia entitatis cui acciderit opposita diuisio, & absque iactura indiuisivisionis transcendentalis, ac conuertibilis cum ente. De duratione simultanea in partibus temporis inuicem distantibus longè alia ratio est. Quia partes ipsae temporis essentialiter sunt successivae, nec possunt existere simultaneae.

Ad 5. Constat ex dictis qua ratione vi verborum adsit totus Christus, sub speciebus panis, & vini, & totaliter excludatur ipsius panis, & vini substantia.

QVÆSTIO LXIV.

Vtrum verba consecrationis; species panis, & vini; & Christus, pertineant ad constitutionem intrinsecam huius sacramenti?

Videtur non pertinere. 1. Quia verba definiunt esse in rerum natura, cum primum proferuntur; Sacramentum vero permanet diutius, ut constat inter alia ex Trid. sess. 13. c. 5. & 6. & can. 4. & 6. Quod autem permanet, non potest constitui intrinsece per id quod non permanet. Quia praeteritum respectu praesentis perinde se habet, atque si nunquam extitisset. Nec fieri potest, ut totum aliquod perseueret, cuius aliqua pars deficit; cum totum sit ex conceptu suo indistinctum ab omnibus suis partibus simul sumptis.

2. Species panis, & vini non habent maiorem, aut aliam vim significandi post consecrationem quam ante consecrationem. Quia semper retinent eandem vim operandi, tum intentionaliter, tum physice. Ante consecrationem autem non habet vllam vim significandi, aut praesentiam Christi, aut collationem gratiae. Ergo neque postea illam habent; sed tota vis significandi est penes verba. Ergo sola verba constituunt adequatè istud sacramentum.

3. De conceptu sacramenti est ratio signi; & rursus de conceptu signi est, ut sit sensibile ut dictum est saepe ex Augustino. Corpus autem, & sanguis Christi non sunt sensibiles, propterea sunt in sacramento; quandoquidem nullo sensu percipi possunt. Non igitur participant rationem sacramenti, vel adequatè, vel etiam inadéquatè.

4. Si verba, & species constituerent intrinsece istud sacramentum; potiori ratione pertineret sumptio ad constitutionem intrinsecam ipsius. Quia sumptio potissimum ducit in cognitionem infusionis gratiae; sicut enim accidenti sumptione, & non aliter infunditur gratia re ipsa; ita visa eadem sumptione, & non aliter cognoscitur infundi eadem gratia.

Art. 1. Respondetur, Ea omnia, & sola pertinent ad constitutionem intrinsecam cuiusque sacramenti, quibus intrinsece constituitur tota significatio practica ipsius, ut patet ex dictis supra in communi quaest. 1. & alibi. Significatio autem practica sacramenti Eucharistiae constituitur in primis intrinsece per verba consecrationis. Quae videlicet significant clarissime realem praesentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus eandemque inducunt vi sua. Quae de causa dicuntur ab Ambrosio operatorius sermo, nempe operans, quod dicit, ac significat. Consequenter significat mediatè, & in causa collationem gratiae respectu suscipientis sacramentum, significando

M m 2 immidia